



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XLIX. De Obligatione Filiorum erga Genitores, & Genitorum erga Filios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

CAPUT XLVIII.

De Quarto Decalogi Præcepto.

1. *Quer.* Quid hoc præceptum jubeat? *Resp.* Honorare Parentes; quorum verborum appellatione continetur obligatio, quam habent 1. Filii erga Genitores, & è contra, quam Genitores tenent erga filios. 2. Item quam Maritus erga Uxorem, ac Uxor erga Maritum. 3. Quam inter se fratres, atque sorores. 4. Quam Domini erga famulos, & famuli erga Dominos. 5. Quam discipuli erga Magistros; nec non Magistri erga discipulos. 6. Quam Dicesesani erga Prælatum, & Prælati erga illos. 7. Quam Parochiani erga Parochum, & Parochi, sive Curati erga suos Parochianos. 8. Et tandem, quam Reges erga subditos, & hi erga Reges, ac Principes suos. Tolet. lib. 5. à cap. 1. usque ad cap. 10. Bonacina tom. 2. de Quarto Præcepto Decal. disp. 6. Coton. lib. 3. Controvers. 6. & 7. Item lib. 4. Controvers. 9. & lib. 5. Controvers. 2. 3. & 5. nec non Controvers. 9. & 12. atque Tamburin. in Decalog. lib. 5. cap. 2. & seqq.

CAPUT XLIX.

De Obligatione Filiorum erga Genitores, & Genitorum erga Filios.

1. *Quer.* Quæ filii debeant præstare erga parentes? *Resp.* Debent præstare tria; Amorem, Reverentiam, & Obedientiam. Tamb. dict. lib. 5. cap. 2. §. 2. num. 1.

2. *Quer.* In quibus consistat Amor debitus à filiis erga suos parentes? *Resp.* Ut eos filii diligant amore interno; nam si odio interno eos prosequantur, mortaliter peccant, & tenentur hanc filiationis circumstantiam exprimere. Tamburin. in Opusc. de Exped. Confess. lib. 2. cap. 5. §. 1. & cap. 7. num. 48. Item amore externo; quia is, qui dure, & asperè agit cum parentibus, peccat. Sylvest. Verb. Filii, q. 22. Navar. in Man. cap. 14. num. 11. Ulterius, ne desint iisdem in Spiritualibus tempore mortis, & in exequendis testamentis morte secuta. Navar. ibidem num. 15. & Tambur. dict. lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 2. num. 5. & 6. Ac etiam in temporalibus, subministrando alimenta, & alia necessaria ipsis Parentibus indigentibus. S. Thom. 2. 2. quest. 101. art. 2. Navar. dict. cap. 14. num. 12. & 13.

3. *Quer.* An filius teneatur solvere mutuum pecuniam habitam à Patre pro alimentis familiae, si ei Pater nulla bona reliquit? *Resp.* Esse celebrem Juristarum questionem, pro qua sunt hinc inde Doctores; sed magis probabile videtur, filium non teneri. Tambur. dict. cap. 2. §. 2. n. 7. & 8.

4. *Quer.* In quibus consistat Reverentia debita per filios Parentibus? *Resp.* In abstinentia à sequentibus. 1. A percussione; filii enim percutientes Patrem, vel Matrem, etsi leviter, peccant mortaliter. Navar. in Man. d. cap. 14. num. 12. Imò etsi solum attollant manus ad verberandum. Bona-

cin. dict. tom. 2. de Quart. Præcept. Dec. disp. 6. quest. 5. punct. 2. n. 4. & hic Patavii est casus reservatus non solum percussio, sed etiam verbalis contumelia. Idèd 2. debent abstinere à maledicendis parentibus. 3. Ab accusandis iisdem parentibus de crimine, quamvis vero; excepta hæresi, & conspatione in Principem. Azor. part. 1. lib. 2. quest. 13. Debent 4. Filii abstinere à contemptu Parentum, si devenerint in paupertatem; illos enim negligere, aut fugere ex contemptu, lethale peccatum est; secus, si ad evitandum aliquod grave incommodum. Tambur. dict. lib. 5. cap. 2. §. 2. num. 17.

5. *Quer.* Si Princeps det liberam facultatem occidendi bannitos, & talis sit Pater, An liceat filio illum occidere? *Resp.* Hanc esse insignem questionem Theologorum, ac Juristarum, quos citat Diana par. 8. tract. 7. resolut. 47. Quæ in Coordinato residet tom. 8. tract. 5. resolut. 41. & Tamburin. dict. lib. 5. in Decalog. cap. 2. §. 2. num. 15. & 16. ubi amplectitur opinionem negativam, nimis enim repugnat naturæ, ut filius possit occidere suum genitorem.

6. *Quer.* Quid comprehendat Obedientia, quam filii tenentur præstare Parentibus? *Resp.* Primò, quod obediant illis præcipientibus, ut vivant cum Dei timore, & caveant à peccatis; quare in his minus obedientes peccant mortaliter, & est circumstantia exprimenda in Confessione. S. Thom. 2. 2. quest. 104. art. 5. Angelus in Summ. Verb. Filius, num. 29. Et ego notavi de Pœnitentia decis. 27. n. 7. Secundo, quod obediant in iis, quæ sibi præcipiuntur à parentibus circa gubernationem domus; alias, si contemnant illos in re gravi, graviter peccant. Tambur. d. cap. 2. §. 2. num. 18.

7. *Quer.* An filii possint absque culpa contrahere matrimonium invititis parentibus? *Resp.* Cum distinctione; vel contrahunt cum dignis, & paræ conditionis absque ullo incommodo familiae? & non peccant. Vel contrahunt cum indignis, & cum dedecore familiae? Et tunc eos mortaliter peccare, docet Sanchez. de Matr. lib. 4. disp. 23. num. 9. ubi DD. Sed adhuc eos non peccare, ait Tambur. d. cap. 2. §. 3. num. 5. ob naturalem libertatem eligendi, quam maluit, sibi uxorem. Illud est certum, & experientia probatur; infelicia semper esse matrimonia contracta per filios invititis parentibus.

8. *Quer.* An filius invititis parentibus possit ingredi Religionem? *Resp.* Affirmative, nisi parentes, ejusve sorores graviter ejus auxilio indigeant. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 20. à num. 14. Tamburin. alios allegans d. lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 5. per totum. Exemplum magnificum habemus de Doctore Angelico, qui reluctantis parentibus factus est Religiosus; ut in ejus Vita.

9. *Quer.* An è contra Parentes cogere possint suos filios ad ingrediendam Religionem? *Resp.* Negative, & qui sic eos cogunt, etiam solo meru reverentiali incidunt in Excommunicationem latam à Concilio Tridentino sess. 25. de Regul. cap. 18. Diana part.

part. 2. tract. 15. resolut. 56. Quæ est in Coordinato Opere-tom. 5. tract. 1. ref. 81. Tamb. d. cap. 2. §. 4.

10. *Quar.* An Parentes, vel alia persone impedientes, aut dissuadentes filios ab ingressu Religionis: vel eos egredi facientes, teneantur aliquid restituere Religioni? *Resp.* Negativè ex communi Theologorum placito (Molina excepto) quos allegat Tambur. d. lib. 5. cap. 2. §. 5. num. 9. Et Eminent. Card. de Lugo de *Justitia, & Jure* tom. 1. disp. 9. sect. 3. ubi loquitur, quando non fuit adhibita vis, dolus, aut fraus.

11. *Quar.* Quam obligationem habeant Patres erga Filios? *Resp.* Præstandi iisdem alimenta secundum statum, & conditionem suam. Sanchez in *Consl. Mor.* tom. 2. lib. 4. cap. 3. dub. 34. Tambur. *dict.* lib. 5. in *Decal.* cap. 3. §. 1. ubi num. 4. addit, peccare mortaliter parentes, qui sine gravi causa suos infantes in hospitali alendos exponunt.

12. *Quar.* An sic exponentes in hospitalibus infantes suos alendos, si divites sint, teneantur reficere expensas hospitali? *Resp.* Aliquos DD. asserere, alios negare, quos allegat Tambur. d. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 4. & 5. ubi rationes ponderat pro utraque opinione.

13. *Quar.* An filio spurio Pater debeat dare alimenta? *Resp.* Affirmativè; etiam ex redditibus Ecclesiasticis, si alia bona non habeat; & ex eis tenetur dotare filiam spuriam; ut latè probat Sanchez in *Conf. Moral.* tom. 2. lib. 4. cap. 3. dub. 35. 36. & 39. & alii apud Tambur. d. cap. 3. num. 6.

14. *Quar.* An dentur causæ, ob quas Pater potest exheredare filium, ac ei alimenta negare? *Resp.* Affirmativè, quæ habentur in *Authent. Ut cum de Appellat. cognosc. §. Causas autem.* Et eas referunt Bonacina, Molina, Sanchez, & alii relati à Tambur. *dict.* cap. 3. num. 8. Quæ omnes concernunt gravem injuriam illatam Patri à filio, vel in ejus vitam, vel in ejus honorem.

15. *Quar.* Si existat Avus, Filius, & Ne-
pos, ipseque Filius sit in egestate, & Avus, ac Ne-
pos sint divites, à quo erit alendus Filius prædictus? *Resp.* Alios asserere, esse alendum ab Avo patre suo; alios à Nepote filio suo, ut refert Diana part. 10. tract. 13. ref. 3. quæ in Coordinato est tom. 4. tract. 7. ref. 45. & Tamb. d. §. 1. n. 11. ubi subdit, dicendum fore, Avum, & Nepotem alere debere pro dimidia.

16. *Quar.* An peccent Matres, quæ non lactant filios suos; sed eos tradunt aliis fœminis lactandos? *Resp.* Si sine justa causa eos ipsæ Matres non lactent, peccare, non obstante consuetudine, quæ pravus abusus esse dicitur in cap. *Ad ejus dist.* 5. ubi Barbosa in *Collect.* DD. Quamvis enim tres allegentur causæ, paupertas Matris, defectus lactis, & timor dedecoris, quo utuntur Matres nobiles, nè proprios filios lactent, tamen non est causa legitima; quia Matres nobilissimæ olim filios suos lactabant, ut de Sara, & de Anna Matre Samuelis, de Hecuba Regina Trojæ, de Thessalonica Matre Regis Antipatri, & de aliis notat Tiraquell. de *Nobilit.* cap. 20. num. 78. Menoch, in *Oeconomic.* lib. 2. cap.

4. num. 1. Quare non excusari has matres à culpa saltem veniali, testantur tum Canonistæ, tum Moralistæ, quos allegant Barbof. in d. cap. *Ad ejus dist.* 5. Narbona in *Tract. de Eccl. Anno* 3. qu. 1. Covar. in *Epitome* lib. 4. *Decretal.* part. 2. cap. 8. §. 6. num. 13. Surdus de *Alim.* tit. 8. privileg. 56. num. 25. Azor. p. 2. lib. 2. cap. 4. qu. 3. Navar. in *Man.* cap. 14. num. 17. & Tambur. *dict.* lib. 5. cap. 3. §. 2. Repugnat enim institutio naturæ, quæ lac subministrat parturientibus tam egenis, quam divitibus; & periculum instat, imbuendi infantem lacte iniquo, & perversis moribus, quibus sæpè imbuta est nutrix. De hoc abusu non lactandi proprios filios vide etiam Ambrosinum de *Immunit.* Eccles. cap. 5. §. 3. num. 11. & 12. Nec non Cornelium à Lapid. in *Genes.* cap. 21. Porro, an mulier lactans possit petere, & reddere debitum? videntur Zacchias in *QQ. Medicolegal.* lib. 7. tit. 3. qu. 3. num. 23. & qu. 4. num. 14.

CAPUT L.

De Obligatione Mariti erga Uxorem, ac Uxoris erga Maritum.

1. *Quar.* Quæ, & quot sint obligationes reciprocae inter Maritum, & Uxorem? *Resp.* Esse sequentes, 1. Ut simul cohabitent: quare sine gravi causa non possunt diversam habere habitationem, ut explicant DD. videlicet, si alter conjugum morbo contagioso laboraret; si vagabundus vellet per orbem ire; vel aliquod periculum corpori, aut animæ alteri conjugi ex cohabitatione resularet, plenè ostendit Tambur. de *Matrimonio* lib. 8. tract. 7. cap. 1. ubi alios allegat. 2. Ut conjuges sibi præstent alimenta; nempe Maritus Uxori semper; aliquando etiam Uxor Marito; si hic sit pauper, illa dives. Sed quibus in casibus maritus non teneatur alere uxorem, tractat Tambur. lib. 5. in *Decal.* cap. 3. §. 3. & §. 4. ubi ille præcipuus, si Maritus dotem non habuit, vel ab Uxore fuit consumpta. 3. Utrique conjuges tenentur filios alere, & educare, ut dictum est supra. 4. Tenentur conjuges correctionem mutuam inter se habere; si eorum alter in aliquo peccet, aut deficiat. Hæc autem correctio per exhortationem fieri debet. Aliquando per punitionem, sed levem; nam gravis punitio per verbera rarò permessa est Marito in Uxorem. Castropal. de *Sponsalib.* disp. 3. punct. 5. §. 3. num. 3. Tambur. de *Matrim.* lib. 8. tract. 7. cap. 1. §. 3. ubi servandam ait consuetudinem regionis. Et 5. tenentur conjuges reddere adinvicem debitum Matrimoniale ad procreandam prolem, de quo latè Tambur. in *Decal.* lib. 7. cap. 3. §. 5.

2. *Quar.* An Maritus, & Uxor possint ad invicem sibi donationes facere? *Resp.* Negativè; quòd si de facto sibi donent, donatio est invalida, sive Jure Civili statuente. Cæterum sunt aliqui casus, in quibus, quando agitur de parvo præjudicio conjugis donantis, valet donatio, quos cumulat idem Tambur. *dict.* lib. 8. de *Matrim.* tract. 7. cap. 2. §. 1. ubi alios Moralistas allegat.

3. *Quar.*